

erudivit; quae, ardua aggressa pro indigenarum bono, maximum Ecclesiae Deus, civilique societati emolumen-  
tum attulit. Ea denique quae Institutum fundavit sororum  
Nostrae Dominae nuncupatum, quod uberrimos protulit  
fructus, atque hodie in quindecim dioecesibus septemptrionalis Americae propagatum cernitur, et in septuaginta  
domibus in quibus quindecim puerorum millia bonis moribus instituuntur.

2. Profecto haec omnia cum heroicarum virtutum exercitio conjuncta, maximam et costantem sanctitatis famam ei conciliarunt; quae magis magisque percrebuit ob gratias et miracula ab Omnipotenti Deo, ipsa intercedente, patrata. Hinc ejus canonizationis Causa a multis Americae Episcopis, amplissimisque Viris efflagitatur: quae illi ob insignem quoque Institutionem peculiari quodam jure competit. Compertissimum enim est ex Decretalibus Literis Summi Pontificis Clementis IX. illis praecipue Sanctis nominis immortalitatem Apostolicam Sedem, decernere consuevit „ *quorum honor cum eximia sit populorum utilitate conjunctus*. Hinc illi qui peculiari alicui vitae Instituto ideam sanctitatis exhibuerunt, *libentissime sacras ad aras accipiuntur* „ (1).
3. Ceterum quae in praesenti Signaturae Commissionis iudicio, juxta generalia Decreta San. Mem. Urbani Papae VIII. requiruntur, hac in Causa apprime concurrunt. Probationes ex dictis plurium testium emergunt omni exceptione majorum, in Processu ad juris tramites confecto; qui testes ne dum ex traditione scientiae causam hausebunt, sed e scriptis Dei Servae, et coævis documentis cordatorum Virorum, quae in Congregationis archivio prostant.
4. Nil aliud nunc superest nisi ut documenta aī hujus Ancillæ Dei sanctitatem demonstrandam exponantur. Sed in primis, uti moris est, ipsius vitae synopsim praemittimus.

## CAP. I.

### Synopsis vitae Servae Dei.

5. Ex piis honestisque parentibus in lueem edita fuit Ancilla Dei, qua de agimus, die decima septima Aprilis anni

(1) *Const. 99. pag. 380 §. Dudum in Cod. Ancyrano.*